



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XIX. Quod appellans metu literarum, quas scit impetratas, non est audiendus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

mus, quod si aliqua causa alicui fuerit delegata, qui consanguineus illius sit, qui literas impetrauit, aut in eodem negotio aduocati officio functus, aut ex alia quacumque causa suspectus, huiusmodi delegatus potest non immerito recusari, quamuis appellatione remota fuerit negotium delegatum.

CAP. XIX. *Alexander III. Dunelmensi episcopo.*

Suggestum est auribus nostris, quod cum oppressi & grauati ad praesidium sedis apostolicae recurrunt, & appellatione facta iter arripiunt, aduersarii eorum, appellationem interpositam cognoscentes, nec ad praesentiam nostram accedunt, nec pro se responsalem transmittunt. Cum autem praesenserint eos redisse & literas nostras reportasse, in vocem appellationis prorumpunt, & iter ad nos veniendi arripiunt, vt sic eorum sollicitudinem, a quibus impetuntur, eludant. Verum quoniam nemini debet fraus sua patrocinari, & falce apostolici moderaminis sunt refecanda, quae in se vitium calliditatis & fraudis continere noscuntur: & nos super hoc consulenti tibi respondemus, quod si quis deprehensus fuerit hoc ex fraude vel malitia facere, eius appellationi non deferas, neque ob id causam tibi commissam sine congruo terminare postponas: quia decretalem epistolam, qua tales videntur muniri, non ad deprimendam cuiusquam iustitiam, sed ad remouendum iniustum grauamen nos fecisse cognoscas.

CAP. XX.

*Idem Cantuariensi archiepiscopo & eius suffraganeis.*

Relatum est auribus nostris, quod quidam sint in prouincia vestra, qui vxoribus propria auctoritate relictis, concubinis adhaerere non dubitant, & errorem suum ac temeritatem suam fouere ac tueri per appellationis obstaculum nituntur. Quoniam igitur officio nostrae sollicitudinis imminet prouidendum, ne appellationis obtentu in sua malitia perseverent: fraternitati vestrae, &c. quatenus si manifestum est, aliquos de prouincia vestra vxores suas sine rationabili causa dimisisse, & aliis adhaerisse, si commoniti vxores suas, concubinis abiectis, non receperint, propter appellationem, si quam ad errorem suum fouen-